

provenit recusare illud munus cum illo onere.

XXXIII. Sic ergo dicimus Angelum non peccasse peccato superbiæ intendendo prosecutionem beatitudinis supernaturalis positive, neque efficaciter, quia evidenter iudicabat esse impossibile quod viribus naturalibus id deberetur, vel physice acquireretur. Nec in hoc habuit errorem Angelus, aut hæresim, quia non convenit naturæ illi ita perfectæ errorem speculativum incurere, neque hæresim habuisse constat, neque in isto errore potuit primum ejus peccatum poni, quia non convenit tam perfectæ naturæ incipere ab errore speculativo, quæ magnum defectum supponit. Nec inefficaci solum appetitu complacendo, et delectando de assecutione beatitudinis ex propriis viribus peccavit Angelus, quia, ut ostensum est supra agendo de appetitu æqualitatis Dei, Angelus in primo peccato non potuit solum peccare ex inefficaci appetitu, sed ex aliquo fine efficaciter intento, et cujus gratia cætera appetentur: et de facto peccavit appetendo aliquid quod assequi tentavit, non circa quod inefficaci tantum complacentia elanguit, ut ibi ostendimus. Et sic omnia quæ diximus contra inefficacem appetitum æqualitatis divinæ, currunt hic contra inefficacem appetitum beatitudinis. Nec denique superbivit appetendo positive aliquam circumstantiam beatitudinis, ut quod citius daretur sibi beatitudo, aut aliquid simile ut supra jam ostendimus: satis enim cito data est beatitudo, supposito quod ex meritis dari debuit, cum data fuerit post primum instans meriti continuatum, ut sequenti disputatione dicitur. Nec assignari poterit aliqua circumstantia in beatitudine supernaturali, quam ex propriis viribus posset desiderare Angelus, et

non ex gratia, supposito quod ipsam beatitudinem ejusque assecutionem in singulari non poterat ex viribus propriis desiderare consequi.

XXXIV. Ex alia autem parte recusatio beatitudinis supernaturalis ut sibi onerosæ cum illis conditionibus quod habenda esset ex gratia Dei, et cum communicatione ad homines est objectum valde congruum superbiæ angelicæ, quia videntes dignitatem suam, appetierunt singularitatem, quæ maxime est propria superborum, præsertim refugiendo communicare cum inferioribus, quales erant homines; et similiter noluerunt aliquid sibi dari ex gratia, et alieno beneficio, quasi nulla alterius gratia indigendo, quod etiam videmus passim in hominibus superbis inveniri. Hoc ergo maxime fuit possibile, et congruum superbiæ Angeli. Nec aliter voluerunt in sua naturali beatitudine sistere, et ea esse contenti, nisi quia per hoc recusarunt superiorem beatitudinem, ut ex speciali gratia sibi dandam, et ut communem cum hominibus; quorum neutrum habebant in fruitione propriæ, et naturalis beatitudinis.

XXXV. Et hoc ita de facto contigisse suadet tum patrum, et D. Thomæ in hac parte explicatio, tum Scripturæ insinuatio. Nam ex patribus Bernardus hoc apprime attigit serm. xvii in Cantica, qui locus licet citetur ad probandum quod Angelus appetiit unionem hypostaticam, revera tamen id non expressit, sed solum id quod a nobis circa supernaturalem beatitudinem dictum est, his verbis: « Potuit contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientia, et perfectum decore homines præscire potuisse futuros etiam, et profecturos in parem gloriam, sed si præcivit, in Dei Verbo, absque dubio vi-

dit, et in suo livore invidit (intellige in Verbo non clare viso, sed per aliquam revelationem specialem) et molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura, non decet esse concives, nec æquales in gloria. An forte prodit impiam hanc ejus machinationem illa præsumpta ascensio, sessioque significans magisterium? Ascendam, inquit, super montem excelsum, et sedebo in lateribus aquilonis, quo Altissimi quamdam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem angelicam creaturam, ita et ipse altus sederet, regeretque genus humanum. » Ecce expressam a Bernardo superbiæ illius diabolicæ magnitudinem circa beatitudinem supernaturalem, recusando illam habere sine singularitate propria, sed communem cum hominibus; ex quo consecutum est quod voluerit specialem super eos habere prælationem potius quam communicationem, ut etiam D. Thomas fatetur in hac quæstione LXIII, art. III, in calce. Accedit ad hoc auctoritas S. Gregorii papæ, xxxiv moral. cap. XIII, alias xvii, vel xiv, ubi inquit: « Angelos perdidisse participatam celsitudinem, quia privatam desideraverunt, » id est, recusarunt celestem beatitudinem, quia participata, et communis erat multis, et solum voluerunt privatam, scilicet quatenus privatam, et propriam, quia prout sic habebat duas conditiones maxime opportunas superbiæ, scilicet singularitatem, seu nihil commune habere cum inferioribus, quod ipsis vulgare videbatur, etiamsi esset gloria supernaturalis, et non habere illam ex speciali beneficio, et gratia, et quasi precario: hoc enim maxime recusant superbi, et maxime recusavit Angelus. Et ad hoc pertinet para-

bola illa Lucæ xiv, de homine qui fecit cœnam magnam, et vocavit multos, et cum vocasset invitatos cœperunt se excusare: ideo enim fortassis recusaverunt ad illam cœnam venire, quia magna erat, et pro multis, dedignantem consortium habere cum tanto numero, potiusque elegerunt suas privatas commoditates, licet longe inferiores, utpote naturalis ordinis, iste quia villam emit, ille quia juga boum, alius quia uxorem duxerat, unusquisque propriam excusationem prætendens, et privatam bonum, quia proprium, recusans vero cœnam, quia magnam, et multis communem. Iste est propriissime spiritus superbiæ. Denique, Augustinus relatus a Suarez lib. vii de Angelis, cap. xi, inquit xii de civitate, cap. i, quod: « Angelus ipse sibi ad vitam beatam sufficere voluit: » et infra: « Mali Angeli sua potestate delectati velut bonum suum sibi ipsi essent a superiori bono ad propria defluerunt. » Et idem refert D. Thomas ex Augustino libro de libero arbitrio, et iv de Genesi ad litteram, in quæstione xvi de malo, art. III.

XXXVI. Accedit ad hanc mentem S. Thomas qui perpetuo docet recusasse Angelum habere beatitudinem supernaturalem ex gratia, volendo sistere in sua naturali beatitudine; et ita si appetiit beatitudinem supernaturalem, appetiit illam ex virtute propria. Videatur in hac quæstione LXIII, art. III, ubi inquit: « In hoc appetiit esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei (qui sermo est valde formalis in D. Thoma, scilicet avertens, seu recusans beatitudinem supernaturalem, quia est ex gratia.) Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei

similitudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis Anselmi, qui dicit quod appetiit illud ad quod pervenisset si stetisset. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt, quia secundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei.» Ecce formalis ratio quam habuit superbia diabolica pro intento, scilicet habere beatitudinem, non ex gratia, neque ex beneficio speciali; ad quod non requiritur quod positive intenderit habere beatitudinem supernaturalem ex virtute propria, sed quod recusaverit illam habere, si ex gratia habenda erat, virtualiter intendens quod si non ex gratia haberetur, illam vellet. Videndus est etiam s. doctor in III contra gentil. cap. cx, ubi inquit, quod: « Angelus non appetiit aliquod bonum, nisi unum quod est sibi proprium, sed in hoc fuit peccatum, quia prætermisit superius bonum, in quod debuit ordinari: sicut enim in nobis peccatum est ex hoc, quod bona inferiora, scilicet corporis appetimus absque ordine rationis; ita in diabolo peccatum fuit in hoc, quod proprium bonum non retulit in divinum bonum.» Juxta hunc sensum intelligitur quod dicit in quæstione XVI de malo, art. II ad IV, quod: « Diabolus non appetiit aliquod malum, sed quoddam bonum sibi conveniens, inordinate tamen, et immoderate illud appetiit, quia scilicet non appetiit illud, ut assequendum per divinam gratiam, sed per propriam virtutem, quod excedebat modum suæ conditionis.» Et articulo tertio sequenti: « Fuit primum peccatum diaboli in hoc quod ac consequendam supernaturalem beatitudinem quæ in plena Dei visione consistit, non se erexit in

Deum, tamquam finalem perfectionem ex ejus gratia desiderans cum Angelis sanctis, sed eam consequi voluit per virtutem suæ naturæ, non tamen sine Deo in naturam operante, sed sine Deo gratiam conferente.» Quæ testimonia licet significare videantur fuisse in Angelo intentum consequendi positive gloriam sine gratia, quod sine errore speculativo stare non poterat, quem D. Thomas perpetuo negat in Angelis intervenisse, tamen revera non sunt intelligenda de intento positivæ consecutionis formaliter, sed solum virtualiter, et indirecte recusando illam habere ex gratia, quod est virtualiter velle, si non esset ex gratia; quia alias esset contradictio in D. Thoma negante Angelo errorem speculativum ex una parte, ut patet in hac quæstione LXIII, art. I ad IV, et III contra gentil. cap. cx, ad primam rationem, et supra quæst. LVIII, art. v, et qu. XVI de malo, art. VI, et alibi sæpe, et ex alia parte concedente intentum formaliter, et positive consequendi gloriam ex propriis meritis, cum id sit omnino impossibile. Et quia satis se explicat loco citato ex capite cx, in III contra gentil. et in articulo tertio, hujusquæstionis LXIII, ubi circa beatitudinem supernaturalem admittit Angelum se habuisse per modum aversionis, seu recusationis, nolens illam ex gratia, et beneficio Dei, unde virtualiter, et tacite admitteret illam, si non esset ex beneficio gratuito, sed ex virtute propria. Et hanc tacitam, seu virtualem volitionem beatitudinis ex propriis meritis solum ponit D. Thomas in Angelis hoc ipso quod admittit illos peccasse avertendo suum appetitum a supernaturali beatitudine, nec volendo illam ex gratia. Et quando addit quod si appetierunt ut finem ultimum beatitudinem sic assequendam, ex virtute propria vo-

luerunt illam, statim subdit, quod hoc in idem redit cum illo priori appetitu, quo voluerunt naturalem suam beatitudinem avertendo se, aut recusando illam habere ex gratia, quia hæc recusatio beatitudinis, ut ex gratia habendæ, est virtualis volitio assequendi illam, non ex gratia.

XXXVII. Unde in sententia D. Thomæ non debemus separare duos actus superbiæ, unum circa beatitudinem naturalem volendo in illa sistere, alium circa supernaturalem intendendo illam consequi ex propriis viribus, sed unus, et idem actus fuit, eademque superbia, recusans habere ex gratia, et beneficio Dei supernaturalem beatitudinem, et potius eligens in propria sistere, quam illam supernaturalem ex gratia habere. Et hoc ideo quia appetitus efficax, et positive intentivus gloriæ ex propriis viribus est plane impossibilis, etiam homini stulto, nec dum Angelo intelligentissimo. Appetitus autem recusativus gloriæ ut beneficii gratuiti non potest sufficere ad statuendum primum peccatum Angeli sine altero appetitu, quo vellet sistere in sua naturali felicitate, et excellentia, quia ille primus appetitus est recusationis, et fugæ, ultimus autem finis debet appeti ut prosequendus, nec possumus pro primo peccato, qui in Angelo incipit ex intentione finis assignare solum illam fugam, seu recusationem, non assignando prosecutionem. Ergo si Angelus deliquit circa finem supernaturalem recusando illum ut ex gratia, licet si ex virtute propria esset, non recusaret illum, oportet quod in ipso delicto superbiæ assignetur etiam finis in quo requievit, et quem persecutus est, scilicet in propria excellentia naturali sistere, potius quam aliquid ex gratia habere.

XXXVIII. Ex hoc autem solvuntur

omnes difficultates, quæ contra hoc fieri possunt. Et fere tota instantia contra D. Thomam fit in hoc, quia non potuit appetere consecutionem beatitudinis supernaturalis ex propriis viribus, nisi vel judicando illam possibilem, et hic esset magnus error, etiam in speculatione, vel judicando illam impossibilem, et hoc esset magna stultitia, conari in talem consecutionem; vel esset solum inefficax, et simplex affectus illius beatitudinis sine merito, et talis affectus non servit pro ultimo fine appetendo, quia appetitus talis finis debet esse efficax, et positive intendens, cum sit id cujus gratia. Vel si in eo aliquod peccatum fuit, potius fuit omissionis, quam commissionis, quia omisit tunc agere, et velle quod oportebat circa suam salutem, otiose occupatus circa illam simplicem delectationem, et imaginariam beatitudinis habendæ sine meritis. Item quia velle assequi beatitudinem sine auxilio Dei potius est peccatum præsumptionis contra spem, aut magnanimitatem, quam superbiæ contra humilitatem; et sic frustra per illum actum explicamus superbiam Angeli: aut saltem peccavit Angelus, et laboravit hæresi Pelagii, putans sufficere ad beatitudinem supernaturalem naturales vires, ex quibus haberi posset meritum de condigno talis beatitudinis.

XXXIX. Hæc omnia juxta nostram explicationem carent vi, nec oportet in eis immorari: nec enim nos dicimus peccatum superbiæ in Angelo processisse ex judicio intendente consecutionem beatitudinis sine gratia, seu ex viribus propriis: hujusmodi enim consecutio non potuit esse intenta sine errore, sed orta fuit ex judicio recusandi quodlibet bonum, etiam gloriam ex gratia, et beneficio alieno, et sine singularitate aliqua, sed communican-

do cum inferioribus : hoc enim maxime dedignantur superbi. Et quia dæmones superbissimi fuerunt, ideo omnem communicationem cum aliis inferioribus, etiam in gloria, et omnem modum habendi aliquid ex gratuito beneficio, et non ut debitum, etiam gloriam ipsam recusarunt : unde virtualiter voluerunt illam, si non esset ex gratia, sed ex propria virtute assequibilis. Et sic nullo modo ex relatis in argumento voluerunt positive, et formaliter beatitudinem, sed efficaciter voluerunt illam recusare, quia erat ex gratia, et communicabilis omnibus, virtualiter autem volebant illam, si sic non esset : efficaciter vero, et positive adhærebant propriæ excellentiæ ut fini, quia ibi tales condiciones non inveniebant, sed erat propria non communis, et non ex gratia speciali, sed solum jure creationis conveniens. Nec in hoc fuit peccatum omissionis, sed commissionis, quia voluerunt inordinate adhærere propriæ excellentiæ, recusando supernaturalem, ad quam ex gratia ordinabantur a Deo. Semper diabolus gratiam Dei abominatus est. Nec in hoc habuit peccatum præsumptionis contra spem, aut contra magnanimitatem, sed superbiæ contra humilitatem, quia ipsi noluerunt consequi beatitudinem sine meritis, sicut vult præsumptuosus, sed recusarunt illam, si erat habenda per gratiam, quod faciunt superbi. Nec oportet illi attribuere errorem Pelagii de habendo merita condigna ex propria natura, quia ipsi non volebant consequi formaliter, et de facto gloriam per sua naturalia, sed recusabant habere illam, si per gratiam consequenda erat, ut vere erat. Unde non habuerunt errorem speculativum Pelagii, sed habuerunt maximam superbiam, unde erupit scintilla erroris Pelagii.

XL. Circa quartum objectum, scilicet beatitudinem naturalem, an fuerit materia superbiæ diaboli, dicimus sine dubio fuisse, ut constat ex D. Thoma supra relato. Sed dubitant aliqui auctores, quomodo in hoc appetitu propriæ excellentiæ, et naturalis felicitatis fuerit peccatum, aut si fuit, quomodo fuerit superbiæ. Nam in appetitu propriæ, et naturalis felicitatis secundum se peccatum non est, imo, ut supra diximus articulo primo non potuit Angelus peccare, si nude, et præcise sisteret in suis naturalibus, quia ad illam erat omnino necessitatus, et determinatus, sed oportuit quod haberet respectum aliquem ad supernaturalia bona. Si autem consideretur ordo ad supernaturalem beatitudinem, non apparet quomodo intervenerit ibi peccatum superbiæ sine errore speculativo, quia ad peccatum superbiæ oportebat quod excellentiam suam ita extolleret, ut præ illa despiceret supernaturalem, vel judicando esse inferiorem, vel impossibilem, aut non necessariam, vel non futuram ex Deo, quod totum sine errore speculativo stare non potuit. Si autem divertit a beatitudine supernaturali, eamque recusavit, non cum tali errore speculativo, sed solum cum practico, recusando illam ut difficilem sibi, aut gravem; et propterea solum quiescendo in tali felicitate naturali, quæ magis sibi est facilis, tunc non erit illud peccatum formaliter superbiæ, sed pusillanimitatis, vel pigritiæ, volendo hoc bonum, non quia proprium, et excellens, sed quia facilius, minusque molestum, sicut homines defluunt ad sensibilia bona, relictis spiritualibus, quia illa apprehenduntur ut faciliora, minusque molesta, quod non est peccatum superbiæ, sed pigritiæ, seu acediæ. Et urgetur secundo, quia velle propriam, et na-

turalem felicitatem relicta superiori, et supernaturali, potius est descendere, quam ascendere, nec oportet multum negotiari in tali felicitate quærenda, cum ex natura sua eam habeat. At peccatum Luciferi describitur per modum ascensus, et exaltationis, Isai. xiv, non descensus ad inferiora, et per modum negotiationis, Ezech. xxviii, ut supra ponderatum est. Non ergo in naturali felicitate quærenda fuit peccatum illud superbiæ. Et si dicatur fuisse tendentiam in excellentiam naturalem per modum exaltationis, quatenus volebat eam non ordinare in supernaturalem beatitudinem, contra hoc est, quia tunc formaliter solum esset peccatum omissionis referendi naturalem excellentiam in Deum, et non exercendi tunc actum charitatis, quod quidem erat contra præceptum affirmativum supernaturalis ordinis, tunc obligans, non tamen constituens naturalis excellentiæ appetitum in ratione superbiæ, si quidem tota malitia illius appetitus reducitur ad hoc, quod fuit causa illius omissionis, et fractionis præcepti tendendi, et ordinandi se ad supernaturalia.

Nihilominus ex dictis circa appetitum recusandi beatitudinem supernaturalem, manet explicatum qualiter iste appetitus sistendi in naturali excellentia fuerit peccatum, et propriissime peccatum superbiæ, ut D. Thomas in articulo tertio hujus quæstionis lxiii, affirmat, et sequuntur omnes ejus discipuli, licet id neget Suarez, lib. vii de Angelis, c. x, putans ad id necessarium fuisse errorem speculativum quo judicaretur beatitudo supernaturalis, ut non necessaria, aut non possibilis, vel futura. Et sequuntur ipsum Arrubal hic disp. clxxviii, c. iii, Becanus, Molina, Estius, et alii quos citant Salmanticensis Carmelitani tract. de Angelis,

disp. x, dub. v, n. clxi. Vasquez autem hic disp. ccxxxv, c. v, licet putet naturalem beatitudinem ut excellentem potuisse esse objectum superbiæ in Angelo, recurrit tamen ad illum simplicem affectum, quo potuit sibi displicere supernaturalis beatitudo, ut per merita acquisibilis, tamquam sibi difficilis, et morosa, atque ita quiescere ut in fine ultimo in sua naturali excellentia, quod etiam concedit Alarcon ubi supra disp. ix, c. ii, n. vi.

Ego autem juxta superius dicta affirmo naturalem felicitatem placuisse Angelo, non solum ut commodiorem, minusque molestam in acquirendo, sicut homines male blandas carnis delicias amant, ne spiritualium austeritate molestentur : hoc enim parum poterat Angelum irretire, sed placuisse Angelo ex affectu superbiæ, non quia suam naturalem felicitatem simpliciter, et absolute, et quasi entitative excellentiorem putavit supernaturalem, aut istam esse impossibilem, vel sibi non necessariam, vel utilem, sed quia suam naturalem, et propriam excellentiam judicabat non haberi ex speciali gratia, et beneficio Dei, sed jure creationis, nec ut multis communem, sed sibi singularem, supernaturalem autem beatitudinem utraque conditione ista carere, et ideo recusabat supernaturalem beatitudinem sub hac præcisa consideratione, ut ex gratia, et ut communem multis, quiescebat vero in propria ut habita jure creationis, et non ex speciali gratia, neque communiter ad multos, licet alias excellentiorem judicaret supernaturalem beatitudinem, sed non ut sibi convenientem cum tali onere gratuiti beneficii, in quo nullus interveniebat speculativus error, quia totum hoc quod judicabat verissimum erat, sed interveniebat summa superbia, quia ipse speculative

judicabat beatitudinem supernaturalem dari ex beneficio gratuito, et communiter tam Angelo quam homini, et hoc verum erat, judicabat quoque suam excellentiam naturalem, licet longe inferiorem, esse tamen sibi peculiarem, nec ex gratia speciali, sed jure creationis sibi dari. Errabat autem practice, quia singularitatis avidus, et impatiens dependentiæ ab aliena gratia, et nolens quidquam precario habere, anteposuit inferiorem excellentiam ut propriam, et non ex gratia speciali, excellentiæ superiori, ut ex gratia dandæ. Et in hoc tantum erravit practice, quantum superbiuit.

XLI. Unde ad rationes in contrarium manifeste patet solutio.

Ad primam dicitur, verum esse quod non peccavit Angelus in appetitu naturalis excellentiæ, nisi cum ordine ad supernaturalem, nolens hanc admittere cum tanta subordinatione ad gratiam. Nec erravit speculative circa ipsam, ut ostensum est, quia indicavit vere, quod solum ex gratia sibi dabatur, sed noluit sic habere. Erravit autem practice recusando illam non ex pusillanimitate aut pigritia, quasi gravem,

aut molestam sibi, sed ex superbia, quia videbat illam ut gratuito beneficio dandam, et communicandam aliis, quod in sua naturali excellentia non dabatur; et ideo licet inferior esset, magis illa delectabatur.

Ad secundam dicitur, quod licet Angelus vere descendit relinquendo superiora bona, et ut Augustinus supra citatus dicit defluxit ad propria, tamen in sua apprehensione ascendebat, et magna negotiatione, conabatur aliis ostendere, et satisfacere, se in hoc magis Dei similitudinem intendere, quia minus dependenter ab ejus gratia, minusque precario, et magis singulariter, et non communicando cum inferioribus procedebat; et sic debere omnes hoc solum procurare, ut in sua naturali excellentia manerent recusando supernaturalem. Unde in hoc non erat formaliter peccatum omissionis, sed superbiæ, quia non solum frangebat præceptum affirmativum convertendi se supernaturaliter in Deum, sed positive appetebat nihil habere ex gratia speciali, nec commune cum aliis, etiamsi entitative esset melius, quod est peccatum commissionis superbiæ.

## QUÆSTIO LXIV.

# DE PŒNA DÆMONUM.

## SUMMA LITTERÆ.

Quatuor pœnas dæmonum per quatuor articulos explicat D. Thomas. Prima est, obtenebratio in intellectu. Secunda, obstinatio in voluntate. Tertia, dolor de malo pœnæ sibi inflictæ. Quarta, locus pœnalis in quo patiuntur.

Circa primum ostendit in primo articulo quod intellectus speculativus dæmonum non est obtenebratus, quia quantum ad naturalem cognitionem nihil in eis diminutum est, quantum vero ad supernaturalem de mysteriis fidei, non est totaliter ablata ab eis speculativa cognitio, sed diminuta: accipiunt enim eam cognitionem de istis quæ oportet. At vero affectiva cognitio, quæ ad amorem ducit honestum, totaliter in eis extincta est.

In secundo articulo ostendit voluntatem dæmonum esse obstinatam in malo, ita quod non possit reverti ad bonum, quod non est ex gravitate culpæ, sed ex conditione status, quia sunt extra statum viæ Angeli post casum, sicut homines post mortem. Conveniens autem fuit Angelos in suo casu terminare viam, quia ex sua natura immobiliter apprehendunt, quando perfecte se determinant, quia sine discursu agunt. Unde postquam perfecte se determinarunt circa objectum viæ, non est quod amplius durarent in ea.

In tertio articulo ostendit esse in dæmonibus dolorem, non secundum quod dolor est passio sensibilis, sed ut dicit renitentiam voluntatis ad ea quæ sibi sunt contraria, sicut quod recludantur in igne, et ab eo detineantur, et impediuntur, etc.

In quarto articulo ostendit quod locus pœnalis, qui debetur dæmonibus ratione suæ culpæ est infernus, quo detrudentur omnes post diem judicii. Nunc autem propter exercitium hominum aliqui sunt in hoc mundo, et aere caliginoso, alii in inferno ad torquendum damnatos.

## DISPUTATIO XXIV.

### DE TERMINO VIÆ ANGELORUM, ET DAMNATIONE DÆMONUM.

#### ARTICULUS I.

*Quot instantibus via Angelorum fuerit terminata?*

I. Sicut a nobis sæpe dictum est, instantia angelica non nostri temporis instantibus regulantur, aut

eis solum correspondent, sed regulantur operationibus ipsis angelicis, quæ indivisibiles sunt; et ideo instantia vocantur, quia licet earum duratio multo tempori nostro æquivalere possit, tamen in se actus ille successione, et partibus caret, ideoque duratio est indivisibilis, seu instantanea: hoc enim est proprium angelicæ operationis propter perfectionem suam, quod non per partes, neque per successionem actus ejus continuantur, aut variantur, sed simul, et indivisibiliter actu suo